

ἀτελές. Ratio hujus est; quia natura facit habiles. Sed quia  
habilitas seu dispositio non sufficit, quippe quæ rudis est  
& imperfecta; secundo loco accedit institutio seu ars. Sed  
ne hæc quidem sufficit. Cùm enim actio sæpe iterata faciat  
habitum, omnino requiritur exercitatio juxta præscriptum  
artis. At exercitatio illa gubernatur normis non solùm ge-  
neralibus, sed etiam specialibus. Atq; hinc distinctio Logi-  
ces in generalem & specialem.

Authoritas, quā usum Logices necessarium esse  
possimus probare, est tūm generalis, tūm specialis.

Generalis, est petita à dictis magnorum autho-  
rum illustribus, quæ de usu in genere loquuntur.

Philosophus 2. Ethic. cap. 1. ait, οἰον οὐκδόμηστες οὐκδόμη-  
γίνονται, καὶ οὐθαριζόντες οὐθαρισται. Vetus philosophus  
huic Aristotelis dicto succinit: ὁ λόγος, ait, οὐδὲ εἴη πάντες:  
*Putridus est verborum apparatus sine opere.* Tertullianus  
dicit: *Non copia, sed usus.* Liceat & huc adscribere illud Fran-  
cisci: *Tantum homo scit, quantum operatur.* Grammatico-  
rum dictum est: *Purus Grammaticus* (qui scil. versatur in  
præceptis nudis) *est purus asinus.* Patres (citante Kecker-  
manno) dixerunt; *Purus Logicus est purus hereticus,* h. e. qui  
contentus nudâ speculatione, Logicâ non applicat rebus, in  
omni disciplinarum genere novas & absurdas excogitat opi-  
niones. Notum est illud oratoris pro Rabirio: *Usus est optimus  
magister;* & præclarum illud Senecæ, epist. 6. *Longum ac diffi-  
cile est iter per præcepta, breve & efficax per exempla.*

Specialis authoritas est in specie de praxis Lo-  
gicæ necessitate.

Communis ille Germaniæ præceptor Melanchthon pag.  
ult. Dial. anno 1528 edit&, sic ait: *Meminerint adolescentes, ad  
hac præcepta consuetudinem disputandi, & styli exercitium  
adhibendum esse. Ita fiet, ut perspiciant vim atq; usum præce-  
ptionum.* Ut enim ridiculus faber foret, qui multos malleos  
compararet, nō ut iis uteretur, sed ut officinam copiosè instructā  
haberet; nec alium nosset ejus rei finem: ita sunt inepti, qui nul-  
lum existimant alium finem esse Dialecticæ, quam ut habeant  
bibliothecam his libellis instructam. *Producenda ars est ex  
scholâ in aciem, & ad magnas causas accommodanda.* Idem  
agere